

Rhetorica ad Herennium

[Cicero]

INDHOLD

1 Talerens opgave	5
1.1 Fortale til Gajus Herennius	5
1.2 De tre talegenrer	5
1.3 Talerens fem opgaver	6
1.4 Teori, efterligning, øvelse	6
2 Stofsamling til det juridiske partsindlæg	7
2.1 Indledningen	7
2.1.1 De fire typer sager	7
2.1.2 Den ligefremme indledning	8
2.1.3 Den indirekte tilgang	9
2.1.4 Forskelle mellem ligefrem indledning og indirekte tilgang	10
2.1.5 Indledninger med fejl	10
2.2 Beretningen	10
2.2.1 De tre typer beretninger	10
2.2.2 Beretningen skal være kort, klar og sandsynlig . . .	11
2.3 Opdelingen	12
2.3.1 Opregning og fremlæggelse	12
2.4 Bevisførelse og gendrivelse	13
2.4.1 Stridsspørgsmål om de faktiske begivenheder . . .	13
2.4.2 Stridsspørgsmål om fortolkning af lovene	13
2.4.3 Stridsspørgsmål om skyld og straf	15
2.4.4 Motiv, hovedargument og domsspørgsmål	17
2.5 Afrunding af Bog I	18

KAPITEL 1

TALERENS OPGAVE

1.1 Fortale til Gajus Herennius

Etsi negotiis familiaribus impediti uix satis otium studio suppeditare possumus et id ipsum quod datur otii libentius in philosophia consumere consueuimus, tamen tua nos, C. Herenni, uoluntas commouit ut de ratione dicendi conscriberemus, ne aut tua causa noluisse aut fugisse nos laborem putares. Et eo studiosius hoc negotium suscepimus, quod te non sine causa uelle cognoscere rhetoricam intellegebamus: non enim parum in se habet fructus copia dicendi et commoditas orationis, si recta intelligentia et definita moderatione animi gubernatur.

Quas ob res illa quae Graeci scriptores inanis arrogantiae causa sibi assumpsere reliquimus. Nam illi, ne parum multa scisse uiderentur, ea conquisiuerunt quae nihil attinebant, ut ars difficilior cognitu putaretur: nos ea quae uidebantur ad rationem dicendi pertinere sumpsimus. Non enim spe quaestus aut gloria commoti uenimus ad scribendum quemadmodum ceteri, sed ut industria nostra tuae morem geramus uoluntati. Nunc, ne nimium longa sumatur oratio, de re dicere incipiemos, si te illud unum monuerimus, artem sine assiduitate dicendi non multum iuuare, ut intellegas hanc rationem praeceptionis ad exercitationem accommodari oportere.

Oratoris officium est de iis rebus posse dicere, quae res ad usum ciuilem moribus ac legibus constitutae sunt, cum assensione auditorum, quoad eius fleri poterit.

1.2 De tre talegenrer

Tria sunt genera causarum, quae recipere debet orator:

- demonstratiuum,
- deliberatiuum,
- iudiciale.

Demonstratiuum est quod tribuitur in alicuius certae personae laudem aut uituperationem. Deliberatiuum est in consultatione, quod habet in se suasionem et dissuasionem. Iudiciale est quod positum est in controversia, quod habet accusationem aut petitionem cum defensione.

1.3 Talerens fem opgaver

Nunc quas res oratorem habere oporteat docebimus, deinde quo modo

§ 3 has causas tractari conueniat ostendemus. Oportet igitur esse in oratore

- inuentionem,
- dispositionem,
- elocutionem,
- memoriam,
- pronuntiationem.

Inuentio est excogitatio rerum uerarum aut ueri similium, quae causam probabilem reddunt. Dispositio est ordo et distributio rerum, quae demonstrat quid quibus locis sit collocandum. Elocutio est idoneorum uerborum et sententiarum ad inuentionem adcommodatio. Memoria est firma animi rerum et uerborum et dispositionis receptio. Pronuntiatio est uocis, uultus, gestus moderato cum uenustate.

1.4 Teori, efterligning, øvelse

Haec omnia tribus rebus assequi poterimus, arte, imitatione, exercitatione. Ars est praeceptio quae dat certam uiam rationemque dicendi. Imitatio est qua impellimur cum diligenti ratione ut aliquorum similes in dicendo ualeamus esse. Exercitatio est assiduuus usus consuetudoque dicendi.

Quoniam demonstratum est quas causas oratorem recipere quasque res habere conueniret, nunc quemadmodum ad orationem possint officia oratoris accommodari dicendum uidetur.

KAPITEL 2

STOFSAMLING TIL DET JURIDISKE PARTSINDLÆG

Inuentio in sex partes orationis consumitur:

§ 4

- exordium,
- narrationem,
- diuisionem,
- confirmationem,
- confutationem,
- conclusionem.

Exordium est principium orationis per quod animus auditoris uel iudicis constituitur et apparatur ad audiendum. Narratio est rerum gestarum aut proinde ut gestarum expositio. Diuisio est per quam aperimus quid conueniat, quid in controuersia sit, per quam exponimus quibus de rebus simus dicturi. Confirmatio est nostrorum argumentorum expositio cum asseueratione. Confutatio est contrariorum locorum dissolutio. Conclusio est artificiosus terminus orationis.

2.1 Indledningen

2.1.1 De fire typer sager

Nunc, quoniam una cum oratoris officiis, quo res cognitu facilior esset, producti sumus ut de orationis partibus loqueremur et eas ad inuentionis rationem accommodaremus, de exordio primum dicendum uidetur. Causa posita, quo commodius exordiri possimus, genus causae est considerandum. Genera causarum sunt quattuor:

§ 5

1. honestum,
2. turpe,
3. dubium,

4. humile.

Honestum causae genus esse putatur cum aut id defendimus quod ab omnibus defendendum uidetur, aut id obpugnamus quod ab omnibus uidetur obpugnari debere ut pro uiro forti, contra parricidam. Turpe genus intellegitur cum aut honesta res oppugnatur aut defenditur turpis. Dubium genus est cum habet in se causa et honestatis et turpitudinis

§ 6 partem. Humile genus est cum contempta res affertur. Cum haec ita sint, conueniet exordiorum rationem ad causae genus accommodari. Exordiorum duo sunt genera: principium, quod Graece prooemium appellatur, et insinuatio quae ep̄hodos nominatur.

2.1.2 Den ligefremme indledning

Principium est cum statim auditoris animum nobis idoneum reddimus ad audiendum. Id sumitur ut attentos, ut dociles, ut beniuolos auditores habere possimus. Si genus causae dubium habebimus, a beniuolentia principium constituemus, ne quid illa pars turpitudinis nobis obesse possit. Sin humile genus erit causae, faciemus attentos. Sin turpe causae genus erit, insinuatione utendum est, de qua posterius dicemus, nisi quid nacti erimus qua re aduersarios criminando beniuolentiam capere possimus. Sin honestum causae genus erit, licebit recte uel uti uel non uti principio. Si uti uolemus, aut id oportebit ostendere qua re causa sit honesta, aut breuiter quibus de rebus simus dicturi exponere. Sin principio uti nolemus, ab lege, ab scriptura aut ab aliquo firmissimo nostrae causae adiumento principium capere oportebit.

Lærenemme, velvillige og opmærksomme tilhørere

§ 7 Quoniam igitur docilem, beniuolum, attentum auditorem uolumus habere, quo modo quidque confici possit aperiemus. Dociles auditores habere poterimus, si summam causae exponemus et si attentos eos faciemus; nam docilis est is qui adtente uult audire. Attentos habebimus, si pollicebimur nos de rebus magnis, nouis, inusitatis uerba facturos aut de rebus his quae ad rem publicam pertineant aut ad eos ipsos qui audiunt aut ad deorum inmortalium religionem; et si rogabimus ut attente audiant; et si numero exponemus res quibus de rebus dicturi sumus.

§ 8 Beneuolos auditores facere quattuor modis poterimus ab nostra, ab aduersariorum nostrorum, ab auditorum persona, ab rebus ipsis.

A nostra persona beniuolentiam contrahemus, si nostrum officium sine arrogantia laudabimus aut in rem publicam quales fuerimus aut in parentes aut in amicos aut in eos ipsos qui audient aliquid referemus, dum haec omnia ad eam ipsam rem, qua de agitur, sint accommodata.

Item si nostra incommoda proferemus, inopiam, solitudinem, calamitatem; et si orabimus ut nobis sint auxilio et simul ostendemus nos in aliis spem noluisse habere.

Ab aduersariorum persona beniuolentia captabitur, si eos in odium, in inuidiam, in contemptionem adducemus. In odium rapiemus, si quid eorum spurce, superbe, perfidiose, erudeliter, confidenter, malitiose, flagitiouse factum proferemus. In inuidiam trahemus, si uim, potentiam, factionem, diuitias, incontinentiam, nobilitatem, clientelas, hospitium, sodalitatem, affinitates aduersariorum proferemus et his adiumentis magis quam ueritate eos confidere aperiemus. In contemptionem adducemus si inertiam, ignauiam, desidiam, luxuriam aduersariorum proferemus.

Ab auditorum persona beniuolentia colligetur, si res eorum fortiter, sapienter, mansuete, magnifice iudicatas proferemus; si, quae de iis existimatio, quae iudicij expectatio sit, aperiemus.

A rebus ipsis beniuolum efficiemus auditorem, si nostram causam laudando tollemus, aduersariorum per contemptionem deprimemus.

2.1.3 Den indirekte tilgang

Deinceps de insinuationibus dicendum est. Tria sunt tempora, quibus § 9 principio uti non possumus, quae diligenter sunt consideranda: aut cum turpem causam habemus, hoc est, cum ipsa res animum auditoris a nobis alienat; aut cum animus auditoris persuasus esse uidetur ab iis, qui ante contra dixerunt; aut cum defessus est eos audiendo, qui ante dixerunt.

Si causa turpitudinem habebit, exordiri poterimus his rationibus: rem non hominem, hominem non rem spectari oportere; non placere nobis ipsis, quae facta dicantur ab aduersariis, et esse indigna aut nefaria; deinde cum diu rem auxerimus, nihil simile a nobis factum ostendemus; aut aliquorum iudicium de simili causa aut de eadem aut de minore aut de maiore proferemus, deinde ad nostram causam pedetemptim accedemus et similitudinem conferemus. Item si negabimus nos de aduersariis aut de aliqua re dicturos, et tamen occulte dicemus interiectione uerborum.

Si persuasus auditor fuerit, id est, si oratio aduersariorum fecerit fidem auditoribus — neque enim non facile scire poterimus, quoniam non sumus nescii, quibus rebus fides fieri soleat — ergo si fidem factam putabimus, his rebus nos insinuabimus ad causam: de eo quod aduersarii firmissimum sibi adiumentum putarint primum nos dicturos pollicebimur; aut ab aduersarii dicto exordiemur, et ab eo maxime quod ille nuperrime dixerit; aut dubitatione utemur quid potissimum dicamus aut cui loco primum respondeamus, cum admiratione.

Si defessi erunt audiendo, ab aliqua re, quae risum mouere possit, ab apolo, fabula ueri simili, imitatione deprauata, inuersione, ambi-guo, suspicione, inrisione, stultitia, exsuperatione, collatione, litterarum mutatione, praeter expectationem, similitudine, nouitate, historia, uersu, ab alicuius interpellatione aut adrisione; si promiserimus aliter ac parati fuerimus, nos esse dicturos; nos non eodem modo, ut ceteri soleant, uerba facturos; quid alii soleant, quid nos facturi simus, breuiter exponemus.

2.1.4 Forskelle mellem ligefrem indledning og indirekte tilgang

- § 11 Inter insinuationem et principium hoc interest. Principium eius modi debet esse, ut statim apertis rationibus, quibus praescripsimus, aut beniuolum aut attentum aut docilem faciamus auditorem: at insinuatio eiusmodi debet esse, ut occulte per dissimulationem eadem illa omnia conficiamus, ut ad eandem commoditatem in dicendi opere uenire possumus. Verum hae tres utilitates tametsi in tota oratione sunt comparanda, hoc est, ut auditores sese perpetuo nobis adtentos, dociles beniuolos praebant, tamen id per exordium causae maxime comparandum est.

2.1.5 Indledninger med fejl

Nunc, ne quando uitioso exordio utamur, quae uitia uitanda sint docebo. In exordienda causa seruandum est, ut lenis sit sermo et usitata uerborum consuetudo, ut non adparata oratio uideatur esse. Vitiosum exordium est quod in plures causas potest accommodari, quod uulgare dicitur. Item uitiosum est quo nihilo minus aduersarius potest uti, quod commune appellatur; item illud quo aduersarius ex contrario poterit uti. Item uitiosum est, quod nimium apparatis uerbis conpositum est aut nimium longum est, et quod non ex ipsa causa natum uideatur, ut propri cohaereat cum narratione, et quod neque beniuolum neque docilem neque adtentum facit auditorem. De exordio satis erit dictum: deinceps ad narrationem transeamus.

2.2 Beretningen

2.2.1 De tre typer beretninger

- § 12 Narrationum tria genera sunt. Vnum est cum exponimus rem gestam et unum quidque trahimus ad utilitatem nostram uincendi causa, quod pertinet ad eas causas, de quibus iudicium futurum est. Alterum genus est narrationis quod intercurrit nonnumquam aut fidei aut criminacionis aut transitionis aut alicuius apparationis causa. Tertium genus est id quod a causa ciuili remotum est, in quo tamen exerceri conuenit quo

commodius illas superiores narrationes in causis tractare possimus. Eius § 13 narrationis duo genera sunt, unum quod in negotiis, alterum quod in personis positum est.

Id quod in negotiorum expositione positum est, tres habet partes: fabulam, historiam, argumentum.

Fabula est, quae neque ueras neque ueri similes continet res, ut eae sunt quae tragoediis traditae sunt. Historia est gesta res, sed ab aetatis nostrae memoria remota. Argumentum est facta res, quae tamen fieri potuit, uelut argumenta comoediarum.

Illud genus narrationis quod in personis positum est debet habere sermonis festiuitatem, animorum dissimilitudinem: grauitatem, lenitatem, spem, metum, suspicionem, desiderium, dissimulationem, misericordiam; rerum uarietates: fortunae commutationem, insperatum incommodum, subitam laetitiam, iucundum exitum rerum. Verum haec in exercendo transigentur; illud quod ad ueritatem pertinet, quomodo tractari conueniat aperiemus.

2.2.2 Beretningen skal være kort, klar og sandsynlig

Tres res conuenit habere narrationem, ut breuis, ut dilucida, ut ueri § 14 similis sit; quae quoniam fieri oportere scimus, quemadmodum faciamus, cognoscendum est.

Rem breuiter narrare poterimus si inde incipiemus narrare unde necesse erit, et si non ab ultimo initio repetere uolemus, et si summatim non particulatim narrabimus, et si non ad extremum sed usque eo quo opus erit persequemur, et si transitionibus nullis utemur, et si non deerabimus ab eo quod coepierimus exponere, et si exitus rerum ita ponemus ut ante quoque quae facta sint sciri possint, tametsi nos reticuerimus: quod genus, si dicam me ex prouincia redisse, profectum quoque in prouinciam intellegatur. Et omnino non modo id quod obest, sed etiam id quod neque obest neque adiuuat satius est praeterire. Et ne bis aut saepius idem dicamus cauendum est; etiam ne id quod semel supra diximus deinceps dicamus hoc modo:

Athenis Megaram uesperi aduenit Simo;
Vbi aduenit Megaram, insidias fecit uirgini;
Insidias postquam fecit, uim in loco adtulit.

Rem dilucide narrabimus si ut quicque primum gestum erit, ita primum § 15 exponemus et rerum ac temporum ordinem conseruabimus, ut gestae res erunt aut ut potuisse geri uidebuntur: hic erit considerandum, ne quid peturbate, ne quid contorte, ne quid noue, ne quid ambigue dicamus, ne

quam in aliam rem transeamus, ne ab ultimo repetamus, ne longe persequamur, ne quid quod ad rem pertineat praetereamus; et si sequemur ea quae de breuitate praecepta sunt; nam quo breuior, eo dilucidior et cognitu facilior narratio fiet.

§ 16 Veri similis narratio erit, si, ut mos, ut opinio, ut natura postulat, dicemus, si spatia temporum, personarum dignitates, consiliorum rationes, locorum opportunitates constabunt, ne refelli possit aut temporis parum fuisse aut causam nullam aut locum idoneum non fuisse aut homines ipsos facere aut pati non potuisse. Si uera res erit, nihilominus haec omnia narrando conseruanda sunt, nam saepe ueritas, nisi haec seruata sint, fidem non potest facere: sin erunt facta, eo magis erunt conseruanda. De iis rebus caute configendum est quibus in rebus tabulae aut alicuius firma auctoritas uidebitur interfuisse.

Adhuc quae dicta sunt arbitror mihi constare cum ceteris artis scriptoribus, nisi quia de insinuationibus noua excogitauiimus, quod eam soli praeter ceteros in tria tempora diuisimus, ut plane certam uiam et perspicuam rationem exordiorum haberemus.

Nunc, quod reliquum est, quoniam de rerum inuentione disputandum est in quo singulare consumitur oratoris artificium, dabimus operam ut nihilominus industrie quam rei utilitas postulabit quaesisse uideamur, si prius pauca de diuisione causarum dixerimus.

2.3 Opdelingen

§ 17 Causarum diuizio in duas partes distributa est. Primum, perorata narratione, debemus aperire quid nobis conueniat cum aduersariis, si ea quae utilia nobis erunt conuenient, quid in controuersiis relinquatur, hoc modo: “Interfectam esse ab Oreste matrem conuenit mihi cum aduersariis: iurene fecerit et licueritne facere, id est in controuersia.” Item e contrario: “Agamemnonem esse a Clytemestra occisum confitentur; cum id ita sit, me ulcisci parentem negant oportuisse”.

2.3.1 Opregning og fremlæggelse

Deinde, cum hoc fecerimus, distributione uti debemus. Ea diuiditur in duas partes, enumerationem et expositionem. Enumeratione udemur, cum dicemus numero quot de rebus dicturi sumus. Eam plus quam trium partium numero constare non oportet: nam et periculosum est ne quando plus minusue dicamus, et suspicionem adfert auditori meditationis et artificii, quae res fidem abrogat orationi. Expositio est cum res, quibus de rebus dicturi sumus, exponimus breuiter et absolute.

2.4 Bevisførelse og gendrivelse

Nunc ad confirmationem et confutationem transeamus. Tota spes uincendi ratioque persuadendi posita est in confirmatione et in confutatione. Nam cum adiumenta nostra exposuerimus contrariaque dissoluerimus, absolute nimirum munus oratorium confecerimus. Vtrumque igitur facere poterimus, si constitutionem causae cognouerimus.

Causarum constitutiones alii quattuor fecerunt: noster doctor tres putauit esse, non ut de illorum quicquam detraheret inuentione, sed ut ostenderet id quod oportuisset simpliciter ac singulari modo docere illos distribuisse dupliciter et bipertito. Constitutio est prima deprecatio defensoris cum accusatoris insimulatione coniuncta. Constitutiones itaque, ut ante diximus, tres sunt: coniecturalis, legitima, iuridicalis.

2.4.1 Stridsspørgsmål om de faktiske begivenheder

Coniecturalis est cum de facto controversia est, hoc modo: ‘Aajax in silua, postquam resciit quae fecisset per insaniam, gladio incubuit. Vlixes interuenit, occisum conspicatur, corpore telum cruentum educit. Teucer interuenit; cum fratrem occisum, inimicum fratris cum gladio cruento uideat, capit is arcessit.’ Hic quoniam coniectura uerum quaeritur, de facto erit controversia et ex eo constitutio causae coniecturalis nominatur.

2.4.2 Stridsspørgsmål om fortolkning af lovene

Legitima est constitutio cum in scripto aut e scripto aliiquid controversiae nascitur. Ea diuiditur in partes sex:

1. scriptum et sententiam,
2. contrarias leges,
3. ambiguum,
4. definitionem,
5. translationem,
6. ratiocinationem.

Ånd og bogstav

Ex scripto et sententia controversia nascitur cum uidetur scriptoris uoluntas cum scripto ipso dissentire, hoc modo: si lex sit quae iubeat eos qui propter tempestatem nauim reliquerint omnia perdere, eorum nauim ceteraque esse, si nauis conseruata sit, qui remanserint in nauis. Magnitudine tempestatis omnes perterriti nauim reliquerunt — in scapham

conscenderunt — praeter unum aegrotum: is propter morbum exire et fugere non potuit. Casu et fortuitu nauis in portum incolmis delata est; illam aegrotus possedit. Nauim petit ille cuius fuerat. Haec constitutio legitima est ex scripto et sententia.

Modstridende love

- § 20 Ex contrariis legibus controuersia constat, cum alia lex iubet aut permittit, alia uetat quipiam fieri, hoc modo: Lex uetat eum qui de pecuniis repetundis damnatus sit in contione orationem habere: altera lex iubet augurem in demortui locum qui petat in contione nominare. Augur quidam damnatus de pecuniis repetundis in demortui locum qui petat nominauit; petitur ab eo multa. Constitutio legitima ex contrariis legibus.

Tvetydighed

Ex ambiguo controuersia nascitur, cum res unam sententiam scripta, scriptum duas aut plures sententias significat, hoc modo: Paterfamilias cum filium heredem faceret, testamento uasa argentea uxori legauit: “Filius heres meus, uxori meae XXX pondo uasorum argenteorum dato quae uolet.” Post mortem eius uasa pretiosa et caelata magnifice petit mulier. Filius se, quae ipse uolet, in XXX pondo ei debere dicit. Constitutio est legitima ex ambiguo.

Definition

- § 21 Definitione causa constat, cum in controuersia est quo nomine factum appelletur. Ea est huiusmodi: Cum Lucius Saturninus legem frumentarium de semissibus et trientibus laturus esset, Quintus Caepio qui per id temporis quaestor urbanus erat docuit senatum aerarium pati non posse largitionem tantam. Senatus decreuit, si eam legem ad populum ferat, aduersus rem publicam uideri eum facere. Saturninus ferre coepit, collegae intercedere. Ille nihilominus sitellam detulit. Caepio, ut illum contra intercedentibus collegis, aduersus rem publicam uidit ferre, cum uiris bonis impetum facit, pontes disturbat, cistas deicit, impedimento est quo setius feratur: accersitur Caepio maiestatis. Constitutio legitima ex definitione. Vocabulum enim definitur ipsum, cum quaeritur quid sit minuere maiestatem.

Henvisning til anden retsinstans

- § 22 Ex translatione controuersia nascitur, cum aut tempus differendum aut accusatorem mutandum aut iudices mutandos reus dicit. Hac parte constitutionis Graeci in iudiciis, nos in iure plerumque utimur. In iudiciis

tamen non nihil utimur ut hoc modo: Si quis peculatus accusatur quod uasa argentea puplica de loco priuato dicatur sustulisse, possit dicere, cum definitione sit usus, quid sit furtum, quid peculatus, secum furti agi, non peculatus oportere.

Haec partitio legitimae constitutionis his de causis raro uenit in iudicium, quod in priuata actione praetoriae exceptiones sunt et a causa cadit qui egit, nisi habuit actionem, et in publicis quaestionibus caueatur legibus, ut ante, si reo commodum sit, iudicium de accusatore flat, utrum illi liceat accusare necne.

Analogislutning

Ex ratiocinatione controversia constat, cum res sine propria lege uenit § 23 in iudicium, quae tamen ab aliis legibus similitudine quadam aucupatur. Ea est huiusmodi. Lex: “si furiosus existet, adgnatum gentiliumque in eo pecuniaque eius potestas esto.” Et lex: “qui parentem necasse iudicatus erit, ut is obuolutus et obligatus corio duehatur in profluentem.” Et lex: “paterfamilias uti super familia pecuniae sua legauerit, ita ius esto.” Et lex: “si paterfamilias intestato moritur, familia pecuniaque eius agnatum gentiliumque esto.” Malleolus iudicatus est matrem necasse. Ei damnato statim folliculo lupino os obuolutum est et soleae ligneae in pedibus inductae sunt et in carcerem ductus est. Qui defendebant eum, tabulas in carcerem adferunt, testamentum ipso praesente conscribunt, testes recte adfuerunt; de illo supplicium sumitur. Ii, qui heredes erant testamento, hereditatem adeunt. Frater minor Malleoli, qui eum obpugnauerat in eius periculo, suam uocat hereditatem lege agnationis. Hic certa lex in rem nulla adfertur et tamen multae adferuntur ex quibus ratiocinatio nascitur quare potuerit aut non potuerit iure testamentum facere. Constitutio legitima ex ratiocinatione.

Cuiusmodi partes essent legitimae constitutionis ostendimus: nunc de iuridicali constitutione dicamus.

2.4.3 Stridsspørgsmål om skyld og straf

Iuridicalis constitutio est cum factum conuenit, sed iure an iniuria factum sit quaeritur. Eius constitutionis partes duae sunt quarum una absoluta, altera adsumptua nominatur. § 24

Absolut stridsspørgsmål

Absoluta est cum id ipsum quod factum est ut aliud nihil foris adsumatur recte factum esse dicemus; ea est eiusmodi: Mimus quidam nominatim Accium poetam conpellauit in scaena. Cum eo Accius iniuriarum agit.

Hic nihil aliud defendit nisi licere nominari eum cuius nomine scripta dentur agenda.

Betinget stridsspørgsmål

Adsumptiu pars est cum per se defensio infirma est, sed adsumpta extraria re conprobatur. Adsumptiuae partes sunt quattuor:

1. concessio,
2. remotio criminis,
3. translatio criminis,
4. comparatio.

Concessio est cum reus postulat ignosci. Ea diuiditur in purgationem et deprecationem. Purgatio est cum consulto negat se reus fecisse. Ea diuiditur in imprudentiam, fortunam, necessitatem: fortunam, ut Caepio ad tribunum plebis de exercitus ammissione; imprudentiam, ut ille qui de eo seruo qui dominum occiderat supplicium sumpsit, cui frater esset, antequam tabulas testamenti aperuit, cum is seruus testamento manu missus esset; necessitudinem, ut ille qui ad diem commeatus non uenit, quod aquae se interclusissent.

Deprecatio est cum et peccasse se et consulto fecisse confitetur, et tamen postulat ut sui misereatur. Hoc in iudicio fere non potest usu uenire, nisi quando pro eo dicimus cuius multa recte facta extant, hoc modo: in loco communi per amplificationem iniciemus: "quodsi hoc fecisset, tamen ei pro pristinis beneficiis ignosci conueniret, uerum nihil postulat ignosci". Ergo in iudicium non uenit: at in senatum aut ante imperatorem et consilium talis causa potest uenire.

§ 25 Ex translatione criminis causa constat cum fecisse nos non negamus, sed aliorum peccatis coactos fecisse dicimus: ut Orestes, cum se defendit, in matrem confert crimen.

Ex remotione criminis causa constat cum a nobis non crimen, sed culpam ipsam amouemus et uel in hominem transferimus uel in rem quamquam conferimus. In hominem transfertur ut si accusetur is qui Publum Sulpicium se fateatur occidisse, et id iussu consulum defendat et eos dicat non modo imperasse, sed rationem quoque ostendisse quare id facere liceret. In rem confertur ut si quis ex testamento quod facere iussus sit, ex plebis scito uetetur.

Ex comparatione causa constat eum dicimus necesse fuisse alterutrum facere, et id quod fecimus satius fuisse facere. Ea causa huiusmodi est:

C. Popilius, cum a Gallis obsideretur neque fugere ullo modo posset, uenit cum hostium ducibus in conlocutionem; ita discessit ut impedimenta relinquenter, exercitum educeret. Satius esse duxit amittere impedimenta quam exercitum. Exercitum eduxit, impedimenta reliquit: accersitur maiestatis.

Quae constitutiones et quae constitutionum partes sint uideor ostendisse. Nunc quo modo eas et qua uia tractari conueniat demonstrandum est, si prius aperuerimus quid oporteat ab ambobus in causa destinari, quo ratio omnis totius orationis conferatur.

2.4.4 Motiv, hovedargument og domsspørsmål

Constitutione igitur reperta, statim quaerenda ratio est. Ratio est quae causam facit et continet defensionem hoc modo, ut docendi causa in hac potissimum causa consistamus: Orestes, cum confiteatur se occidisse matrem, nisi adtulerit facti rationem, peruerteret defensionem. Ergo adfert eam quae nisi intercederet ne causa quidem esset: "Illa enim," inquit, "patrem meum occiderat." Ergo, ut ostendi, ratio ea est quae continet defensionem, sine qua ne parua quidem dubitatio potest remorari damnationem.

Inuenta ratione firmamentum quaerendum est, id est quod continet accusationem, quod adfertur contra rationem defensionis de qua ante dictum est. Id constituetur hoc modo: cum usus fuerit Orestes ratione hoc pacto: "Iure occidi, illa enim patrem meum occiderat," utetur accusator firmamento, hoc modo; "At non abs te occidi neque indamnatam poenas pendere oportuit."

Ex ratione defensionis et ex firmamento accusationis iudicij quaestio nascatur oportet quam nos iudicationem, Graeci crinomenon appellant. Ea constituetur ex coniunctione firmamenti et rationis defensionis hoc modo: cum dicat Orestes se patris ulciscendi matrem occidisse, rectumne fuerit sine iudicio a filio Clytemestram occidi. Ergo hac ratione iudicationem reperire conuenit: reperta iudicatione omnem rationem totius orationis eo conferri oportebit.

In omnibus constitutionibus et partibus constitutionum hac uia iudicationes reperientur, praeterquam in conjecturali constitutione: in ea nec ratio qua re fecerit quaeritur, fecisse enim negatur: nec firmamentum exquiritur, quoniam non subest ratio. Quare ex intentione et infinitatione iudicatio constituitur, hoc modo: Intentio: "Occidisti Aiacem." Infinitatio: "Non occidi." Iudicatio: "Occideritne?" Ratio omnis utriusque orationis, ut ante dictum est, ad hanc iudicationem conferenda est. Si plures er-

unt constitutiones aut partes constitutionum, iudicationes quoque plures erunt in una causa, set omnes simili ratione reperientur.

2.5 Afrunding af Bog I

Sedulo dedimus operam ut breuiter et dilucide quibus de rebus adhuc dicendum fuit diceremus. Nunc quoniam satis huius uoluminis magnitudo creuit, commodius est in altero libro de ceteris rebus deinceps exponere ne qua propter multitudinem litterarum possit animum tuum defatigatio retardare. Si qua tardius haec quam studes absoluenter, cum rerum magnitudini tum nostris quoque occupationibus adsignare debebis. Verumtamen maturabimus et quod negotio deminutum fuerit exaequabimus industria, ut pro tuo in nos officio et nostro in te studio munus hoc adcumulatissime tuae largiamur uoluntati.